



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXXIII. An ex locis Scripturae, quae dependentiam liberi arbitrij à voluntate,
& omnipotentia diuina testantur: physicam praedeterminationem
ostendant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

raturaliter vocato, & in eo statu constituto in quo possit de supernaturaliter agendis consiliari, & de obseruatione praeceptorum etiam supernaturalium deliberare, & quae ad vitam, vel meritum dicunt eligere. Hinc ergo argumentamur sicut ex his verbis colligitur libertas arbitrii in supernaturalibus, ita etiam probari vsum libertatis consistere in determinatione voluntatis praeueniente ab ipsa adhuc indifferente, & nondum ab illo determinata, ac proinde praedeterminationem repugnare modo operandi voluntatis, quem ex dono Creatoris habet voluntas, & quo in operibus gratiae non priuatur. Probat hanc illatio ex ponderatione singulorum verborum. Nam illud in manu consilij sui significat proximam potestatem cum indifferencia, quam magis explicat conditio illa si volueris; & augetur cum dicitur, ad quod volueris porrigere. Nam verbum hoc apertissime significat determinationem voluntatis ab ipsa habente simul proximam potestatem porrigendi manum ad aliud, quod etiam satis confirmat verbum quod placuerit.

Respondent vera esse haec omnia, & his verbis significari, nihilominus tamen per illa non excludi praedeterminationem Dei, nam licet voluntas humana praedeterminetur à diuina prius natura, nihilominus ipsa in posteriori signo naturae, se etiam determinat, & porrigit manum ad id, quod vult, quia licet se libere determinet, non est tamen primum liberum à se primo determinans, sed sub primo libero à quo praedeterminatur. Et ad hoc inducunt D. Thomam 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. dicentem per illa verba distingui hominem ab agentibus naturalibus, quae non ducuntur consilio, quia habent virtutem operatiuam determinatam ad vnum, non tamen excludi quin liberum arbitrium, & tota prouidentia humana subdatur diuinæ. Vnde alij dicunt per illa verba excludi quidem à voluntate determinationem ad vnum innatam, & intrinsecam naturae suae, non tamen excludi praedeterminationem ab auctore naturae, vel gratiae extrinsecus immixtam modo accommodato suae naturae, ita vt nec vim consiliandi, aut eligendi auferat.

6. Sed haec in superioribus variis modis impugnata sunt, & certè dictis verbis sapientis non bene accommodantur. Et in primis considero duo illa verba, constituit hominem, & reliquit eum, nam verbum constituit ad creationem hominis pertinet, per quam constitutus est talis naturae, & libertatis: verbum autem reliquit ad prouidentiam pertinet, per quam ita Deus gubernat hominem, vt illi offerens obiecta, proponensque mandata, & virtutem ad consiliandum, & operandum tribuens, illum ita relinquat in manu consilij sui, vt ei integrum sit, cum generali concursu simultaneo, & proportionato ad hoc, vel illud manum porrigere pro sua voluntate. Ergo in verbo illo relinquendi includitur quod illum non praedeterminet, nam si iam praedeterminatus porrigit manum, id est, efficit volitionem ad quam est praedeterminatus ab alio, profecto iam non ipse se determinat, sed efficit id, ad quod iam determinatus est. Confirmatur, ac declaratur, nam cum sapiens dicit, si volueris, vel ad quod volueris porrigere, vel loquitur ad hominem constitutum in solo statu sufficientiae, vel ad hominem iam praedeterminatum. Si primum dicatur, immerito illi dicitur porrigere manum, quia non potest illam extendere, nisi prius ab alio applicetur, & praedeterminetur, quod non est in eius potestate. Si vero dicatur secundum, frustra illi, dicitur si volueris, &c. quia sic praedeterminatus non potest nisi vnum velle, nec potest non velle.

7. Declaratur ad hominem, nam illi auctores dicunt, auxilium, quo Deus praeuenit voluntatem

vt operetur, si velit, non satis esse vt velit, nisi ultra illud accipiat auxilium, quo praedeterminetur, vt velit, vel vt alij etiam aiunt, quo infallibiliter, & inenitabiliter velit. Ergo in priori statu sufficientiae frustra dicitur homini porrigere manum ad id, quod volueris, quia nondum habet id, sine quo velle non potest, nec illud habet in sua morali potestate. In altero vero statu frustra, & irrisorè ei, si volueris, cum iam omnino ex necessitate sit voluturus. Non minus ergo probant dicta verba, constitutum, ac relictum esse hominem in potestate vera & quae possit reduci in actum volendi sine praua determinatione, quam in potestate volendi sine praua necessitate. Neque ad hoc refert quod homo non sit primum liberum, quia ad hoc satis est, quod in sua determinatione pendeat ab alia priori, & prima voluntate libera, vt iam saepe explicatum est. Nec locus D. Thomae facit ad causam: clarum est enim, voluntatem creatam semper constitui sub prouidentia Dei, & à diuina voluntate, & consilio principaliter regi, ita tamen, vt eius indifferencia, & electio non laedatur, nam hoc ipsum pertinet ad prouidentiam Dei, quae sine causa ad illum modum prouidendi per praedeterminationem coarctatur. Denique iam supra ostensum est, determinationem ad vnum ab extrinseco prouenientem, & necessitatem antecedentem etiam si sit ab extrinseca causa, non minus repugnare libertati, quam determinationem ab intrinseco. Imo magis quodammodo, in quantum aliqualem violentiam includit. Et ad hunc modum induci possunt alia testimonia, quibus libertas arbitrii, & vsum eius comprobari solet.

C A P V T XXXIII.

An ex locis Scripturae, quae dependentiam liberi arbitrii à voluntate, & omnipotentia diuina testantur: physicam praedeterminationem ostendant.

A D nostra sententiae confirmationem, non satis est ostendisse, quam sit Scripturis diuinis conformis, sed etiam explicare oportet nihil in diuinis Scripturis reperiri, quod vel probabiliter illi officiat, vel auxilium physicae praedeterminationis suadeat: Hoc autem praestare melius non possumus, quam respondendo testimoniis Scripturae, quae defensores physicae praedeterminationis in suae sententiae confirmationem inducunt. De quibus in primis generatim dicimus in nullo illorum suae sententiae confirmationem inducunt. De quibus in primis generatim dicimus in nullo illorum suae sententiae confirmationem inducunt. De quibus in primis generatim dicimus in nullo illorum suae sententiae confirmationem inducunt. De quibus in primis generatim dicimus in nullo illorum suae sententiae confirmationem inducunt.

Deinde aduertimus Calvinum eisdem vti testimoniis ad probandum Deum voluntate sua, & motione praua necessitatem inferre voluntatibus hominum in omnibus earum actionibus, quibus catholici respondet, male inferre, quia omnia, quae illis locis docentur potest facere Deus absque necessitate, & salua libertate, quam in aliis locis eadem Scripturae predicat. Si ergo nos ostendimus, omnia illa, quae in eisdem testimoniis dicuntur optime consistere sine

1. Respondetur testimonio Scripturae quae, defensores physicae praedeterminationis in determinationis in suae sententiae confirmationem adducunt.

prædeterminatione, & cum integra indifferentia in operando, & cum omni sufficientia, & efficacia, ac necessitate gratiæ, quam in eadem Scriptura inuenimus, profecto conuincemus talia testimonia non magis ad probandam dictam prædeterminationem, quam ad suadendum Caluini necessitatem valere. Quod maiore vim habebit, si consideretur vix posse mente concipi, ne dum verbis declarari, quid in re ipsa inter hanc necessitatem, & illam prædeterminationem interfit. Sed iam ad singula testimonia veniamus, quia vero quam plura multiplicentur, ad pauciora capita, & ad certam argumentorum seriem illa reducere conabimur.

2. Primò adducunt illa testimonia, quæ docent dependentiam essentiali in operando liberi arbitrij creati à diuina voluntate, & maxime in operibus gratiæ. Huinsmodi sunt illa Isai. 26. *Domine datus pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es in nobis.* 1. & Corinth. 12. *Operatur omnia in omnibus,* & similia multa quæ in libro 3. adduximus. Et de operibus gratiæ maxime ponderari solent verba ad Philip. 1. *Qui capit in vobis bonum opus, ipse perficit,* & cap. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Hinc ergo ita in virtute colligunt. Voluntas nostra ita pendet essentialiter à Deo in suis liberis actibus, vt eos Deus ipse in nostra voluntate operetur, ergo efficacissima potentia sua prædeterminat Deus voluntatem ad talia opera. Item peculiariter tribuitur Deo in operibus gratiæ, quod ipsum velle in nobis faciat, & inchoet pro sua bona voluntate, ergo id facit per efficacem voluntatem suam nostram prædeterminando. In his testimoniis, (quod de sequentibus etiam intelligatur, vt prolixitatem non necessariam euitem non expendam accuratè, an testimonia in sensu litterali asserantur, necne, sed cum in quo allegantur facile admittam, vt ad punctum argumenti quod vt dixi, in illatione consistit, statim respondeam. Quod dico, quia illa verba *Isaia omnia opera nostra operatus es in nobis*, ad litteram fortasse intelliguntur de flagellis diuinis, vt exponit Hieronymus, vel de beneficiis mirabilibus, vt Cyrillus, & D. Thomas ibi volunt, nunc verò admittimus illa verba de omnibus operibus nostris, quia de omnibus vera sunt, & ab Scholasticis passim in eo sensu asseruntur, vt patet ex D. Thoma 3. contr. gent. cap. 67. & ad Rom. 9. lectione 13. & aliis frequenter. Respondetur ergo negando consequentiam, nullum enim habet solidum principium in quo fundetur. Nam in primis in lib. 3. ostensum est, Deum non dici operari opera nostra propter præuium concursum sed propter concomitantem. Deinde certum est Deum non dici facere opera liberi arbitrij, quia solus illa facit in nobis, sed quia illa nobiscum operatur, nam quod Deus operando facit, verè ipse operatur, & simpliciter illi tribuitur, quia principaliter operatur, & sua virtute à nemine pendente, & omnibus dat operandi virtutem. Igitur ex illa locutione generali, & similibus non potest inferri, prædeterminatio in operibus liberi arbitrij, neque in operibus bonis, magis quam in malis. Et eodem modo de generali concursu exponit D. Thomas priora verba Pauli in epistola ad Corinth. Imo etiam ita interdum exponit posteriora verba ad Philip. vt videre licet in Commentar. ad cap. 26. Isaiæ. Concedamus autem vltima verba Pauli de operibus gratiæ intelligenda esse, sed non propterea in illis probabiliter illatio. Quia Deus operatur velle gratuitum in nostra voluntate sine prædeterminatione, quia voluntatem nostram præparat adiuvandam & adiuuat præparatam.

3. Vnde D. Thom. ibi ait illis verbis reprobari non tantum errorem Pelagianorum, sed etiam eorum qui dixerunt voluntatem nostram, necessitari à

gratia. Quia hoc excludit (inquit) Apostolus eum dicitur operatur in nobis. Quia interius per instinctum mouetur voluntatem ad bene operandum: Quod perfectissime fieri potest sine prædeterminatione. Imo ita fieri facit indicat Apostolus in eodem loco cum præmittit. Cum metu, & tremore vestram salutem operamini, & proximè subdit. Deus est enim qui operatur in vobis, ac si diceret non vestris viribus, sed diuino auxilio potestis vestram salutem operari, & ideo eam cum timore operamini, ne Deus auxilium suum subtrahat ad perficiendum bonum opus, quod per idem auxilium in vobis inchoauerat bonam voluntatem, vt propositum inspirando. Sicut cap. 1. dixerat, & exposuit August. lib. de grat. & lib. arb. c. 9. & lib. de don. perseuer. cap. 13. & serm. 34. de tempore cap. 3. Quibus in locis, & in multis aliis doceri illa verba exhortationis, & tacite comminationis ostendere quidem hominem debere suam salutem operari, sed principaliter illam operari Deum, & conuerso ita Deum operari hominis salutem, vt oporteat ipsum hominem illam liberè operari, habentem in potestate sua non perficere, quod Deus incipit, vel impedire auxilia quibus velle, & perficere operatur in nobis. Hæc autè omnia vix, aut ne vix quidem possunt in auxilium prædeterminans conuenire. Quia illud non subest villo modo potestati nostræ, vel vt detur, vel vt aufertur. Vnde non est quod timeamus, ne aut propter opera nostra negetur, aut si detur quod effectus eius careamus.

Secundo loco adducuntur loca in quibus dicitur Deus habere liberum arbitrium hominis in manu sua, vt quocunque voluerit verat illud, sicut dicitur de corde Regis Prouerb. 21. Vbi fit mirabilis comparatio, quod sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini quocunque voluerit inclinabit illud. Vbi non solum est sermo de potestate Dei in voluntate, sed etiam de executione eius, quam Deus facile potest impedire, & mutare, sed etiam de potestate in internam ipsam volitionem, seu electionem, vt verba ipsa conuincunt. Nam potestas supra executionem, non est potestas in cor, sed in manu, vel aliam similem facultatem, nec impediendo executionem mutatur interna voluntas per se loquendo, est ergo cor hominis in manu Dei quoad ipsam internam volitionem, ergo & quoad prædeterminationem. Hanc ergo verbo inclinandi significat Sapiens, quia loquitur de inclinatione efficaci seu in actu secundo, & deliberato, per illam enim cor mutatur. Et licet de Rege loquatur, idem à fortiori de quocunque homine intelligit. Nam quia Reges magis videtur esse sui iuris, & potestatis, ideo quasi per exaggerationem in eis ponit exemplum: Deo vero autem populo similiter dicitur 2. Paralip. 30. In Iuda vero facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum Regis. De quo etiam scriptum est Esther. 15. *Conuertit Deus Spiritus Regis in meretricium.* Et similis est locus Ecclesiastes 7. *Sunt iusti acque sapientis & opera eorum in manu Dei.* Vbi Chaldaica paraphrasis addit, *Et ab eo decretum est omnia, quod erit in diebus eorum.* Quali dicat, quidquid homines deliberent esse in manu Dei, vt ex decreto eius omnia succedant.

Respondetur nullum catholicum posse dubitare, quin omnium hominum, non solum potestates, sed etiam voluntates sint in manu Dei, & nihilominus de modo est inter eos magna contentio. Vnde ex eo quod Scriptura dicit cor Regis esse in manu Dei, non rectè inferitur, hoc esse intelligendum ratione prædeterminationis, sicut non sequitur esse intelligendum ratione necessitatis. Dico ergo, quoad actus bonos cor hominis esse in manu Dei, quia per cogitationes sanctas, & congruas, & per inspirationes, & affectiones illis cogitationibus proportionatas ita potest voluntatem hominis mouere, vt quocunque

cunque voluerit, vetat illam. Vnde Beda in Proverb. de solis iustis locum illum intelligens, ait. *Cor Regis in manu Dei, quia sicut diuisiones gratiam iuxta suam voluntatem, & Angelis, & hominibus tribuit. ita etiam corda Sanctorum quibusque voluerit, digna donationibus reddit. Neque vllum habet Pelagianista locum quo absque Dei gratia quis salus fieri possit. Et sequitur ibi Gloss. ordin. Et Hieronymus solet de solis bonis Regibus, vel iustis hominibus verba illa exponere, vt videre licet Ierem. 4. Ezechiel 28. & Daniel 5. nunquam tamen id putat esse dictum propter prae-determinationem, sed in summum propter Dei perfectam gubernationem.*

At vero D. Augustinus lib. de grat. & liber. arbit. cap. 21. etiam de corde peccatoris, & de inclinatione eius etiam ad opera mala verba illa interpretatur. Quod est constantem generalitatem verborum, & nostram sententiam non infirmat, sed potius confirmat. Nam certum est non inclinare Deum directè & positivè voluntates hominum ad mala opera, multoque minus prae-determinare, aut prae-determinare illa vt in lib. 3. ostensum est. Ergo si verba sapientis comprehendunt etiam prauos Reges, & praua consilia, & decreta illorum, non intellexit Deum inclinare corda prae-determinando, sed aliquid aliud operando, vel operari sinendo, iuxta materiam capacitatem. Et ita August. ex illo, & aliis testimoniis quae congesse- rat ita concludit. *Hic, & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quae omnia commemorare nimis longum est, satis quantum existimo manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum. Quod vltimum verbum non potest intelligi prae-determinatione, tum propter absurditatem sententiae, tum quia si determinaret voluntatem ad malum, non semper id faceret propter demeritum, sed sua tantum voluntate, vt in libro etiam tertio ostensum est. Tum denique quia in fine cap. it. ait Deum id facere per Angelos bonos, vel malos, siue quocunque alio modo operando in cordibus malorum pro meritis eorum. Si autem Deus prae-determinat voluntatem hominis, certe id non facit variis modis, sed vno, & determinato modo, neque facit per Angelum bonum, vel malum, sed per seipsum. Angeli enim operantur in cordibus immittendo cogitationes, & per illas excitando affectiones, ergo si Deus per Angelos inclinaret voluntatem non inclinaret prae-determinando, ergo etiam quando per seipsum inclinaret, non oportet, vt id faciat prae-determinando, sed in bonis, vt dixi congruas cogitationes immittendo, quae per se & cum effectu in bonum à Deo intentum inducant, in malis autem vel operando ea, quae per se bona sunt cum praescientia, quod ipse male sint eis vsuri, vel praemittendo, vt mali Angeli eos ad malum inducant.*

Et per haec responsum ad alia loca, quae per se spectata nullam habent difficultatem. Nam facile potuit Deus tribui Iudae dare cor vnum congruentem illi populo excitando, & mouendo, vt infallibiliter Regi consentiret, & tamen liberè, & sine prae-determinatione, licet non sine adiutorio diuino consentiret. Et ita Augustinus lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum. cap. 2. ex his & similibus locis nihil aliud quam efficaciae gratiae auxilium colligit. Et similiter exponit locum Esther, nam eodem modo potuit Deus sine prae-determinatione conuincere in mansuetudinem cor Assueri per cognitiones menti, & phantasiae obiectas, & excitando bonum, & magnum affectum in core eius erga Esther. Vnde cum ipsa Esther cap. 14. petisset. *Conuertere consilium eorum super eos, statim subiicit. Tribue sermonem in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius.* Nam quia illa mutatio non per coactionem, vel neces-

sitatem, nec certè per physicam prae-determinationem, sed morali modo faciendà erat, petit sermonem compositum, id est aptum, & accommodatum ad mouendum cum effectu cor Regis adiuvante Deo interius, rationes congruas proponendo & affectiones aptas ad persuasionem excitando. Alter vero locus ex Ecclesiaste, eandem habet responsionem, etiam si intelligamus opera iustorum dici esse in manu Dei, eo quod ex eius liberali gratia & prae-determinatione pendent, quia nihilominus non pendet ex prae-determinatione, sed ex praemotione, & vocatione congrua, vel generaliter ex Dei speciali providentia, & ordinatione, vt Hieronymus ibi insinuat, qui non solum de operibus bonis, sed etiam de malis poenae quae iusti patiuntur, verba illa interpretatur, quia omnia iusti eueniunt iuxta diuinæ prouidentiae dispositionem. Potest etiam ille locus aliis modis exponi de operibus iustorum, quia licet magna circumspectione ab eis fiant, in manu Dei sunt, id est, in eius potestate, & iudicio, & trutina, & ipsos iustos latet, qualia sint, & ideo nesciunt, an amore, vel odio digno sint. Et aliis modis hic locus exponitur, sed prior expositio nobis sufficit, estque responsio dicta pra oculis habenda, quia multa similia loca per illam exponuntur, de quibus consuli potest Augustinus dicto lib. de grat. & liber. arbit. cap. 20. & 11.

Tertius locus argumentandi est ex efficacia, & omnipotentia diuinæ voluntatis, ita enim dicit Deus per Isaiam cap. 46. *Iudicium meum stabit, & omnis voluntas mea fit, & in Psalm. dicitur Omnia quaecunque voluit, fecit, utique quae absoluta voluntate voluit, de qua etiam dicitur Esther. 13. Domine Rex voluisti, omnipotens in diuisione tua cuncta sunt posita, & non est qui isui. 46. possit resistere voluntati tuae.* Et similia sunt in scriptura frequentia. Ex quibus tale conficitur argumentum. Decretum diuinæ voluntatis semper antecedit de liberationem voluntatis humanae, quia illud est causa prima, à qua pendet, & determinatur omnis effectus causae secundae, sed decretum Dei illud est efficacissimum, nec illi valet resistere humana voluntas, ergo semper prae-determinat voluntatē, vel per seipsum propter naturalem subordinationem, & subiectionem humana voluntas ad diuinam, vel motionem aut qualitatem aliquam, quam per suam omnipotentiam potest voluntati humanae imprimere, vt suum decretum infallibiliter exequatur. Ergo in hac prae-determinatione ponendum est auxilium efficax, quia illa semper est efficax, & sine illa nullum auxilium potest esse efficax magis, quam sine diuina voluntate.

Respondetur quatuor catholica dogmata ad Deum pertinentia in illis testimoniis contineri de quibus nulla potest inter catholicos esse controuersia. Primum consilium diuinum semper stare, id est, nec deficere, nec frustrari posse, quia semper est prudens, & rectum, & in scientia certa, & infallibili fundatum. Secundum est voluntatem diuinam efficacem, & absolutam semper impleri. Tertium, quod est praecedentis fundamentum in manu omnipotentiae diuinæ omnia esse constituta. Quia enim Deo subest cum voluerit posse, & quia nihil absolute vult nisi prudentissimo consilio, habensque in thesauris scientiae, & potentiae suae media, quibus possit infallibiliter exequi quicquid absolute vult, ideo talis omnis voluntas eius infallibiliter sit. Quartum dogma est neminem posse resistere tali voluntati diuinæ: quod sequitur ex duobus praecedentibus, nam si posset quis resistere voluntati Dei posset efficere, vt voluntas Dei non impleteretur. His addi debent alia ad hominem pertinentia, qualia sunt, primo, diuinæ voluntatis efficaciam, & omnipotentiam non auferre, neque impedire humanarum operationum, seu electionum libertatē. Secundo sapē executionem

7.
Tertio ex
efficacia, &
omni uipoten-
tia diuinæ.
voluntatis.
46.
Psa 1.
Epl. def. 13.

8.

nem diuini consilij, ac decreti pendere à libertate hominis. Tertium est ea quæ à Deo decreta sunt, vt per liberum arbitrium fiant, non fieri ab eo inuitabiliter, simpliciter, & absolute loquendo. Quia quod est inuitabile non est liberum, vt ex terminis per se notum videtur. Quia quod euitari non potest sub humanam potestatem non cadit, ac subinde nec sub libertatem. Quartum est, voluntatem Dei decernentem de actibus à libero arbitrio præstandis, non auferre veram, & proximam potentiam eius ad agendum, & non agendum quia hæc est necessaria ad actus libertatis, vt in Prolegomeno primo probatum est.

Cum ergo hæc nobis omnibus communia esse debeant, etiam difficultas dictorum testimoniorum omnibus communis est. Vnde quidam illis oppressi negant, posse Deum prædefinire absolute, & efficaciter actus voluntatis humanæ in particulari. Et cum omnibus circumstantiis eius salua libertate, quod nobis nullo modo probari potest, vt alibi ostendimus, & in hoc opere sæpe diximus. Suppositis ergo decretis præfinitibus ad intra, qui nobis illa testimonia obiciunt putant, non posse mandari executioni efficaciter, nisi per prædeterminationem ad extra, quæ talis sit, vt illa supposita non relinquant in humana voluntate potestatem aliter volendi quam à Deo decretum sit, quia hoc putant necessarium, vt non possit resistere voluntati diuinæ. Sed non possunt nobis explicare quomodo talis voluntas maneat libera ad operandum, si ad vnum prædeterminatur, & priuatur potestate aliter operandi. Vnde (quod maius est inconueniens) ipsa voluntas diuina sibi ipsi repugnaret, volendo, vt humana voluntas operetur sine libertate, id est, sine potestate aliter volendi. Nos autem dicimus decretum Dei non auferre à voluntate potestatem simpliciter aliter volendi, aut operandi etiam tali suppositione posita, quia non est decretum ita antecedens quin supponat præficientiam conditionatam futuri consensus liberi, si tali vocatione voluntas hominis præparetur & adiuuetur. Et consequenter negamus ad efficientiam talis decreti, esse necessarium, & accommodatum mediam voluntatem prædeterminare ad vnum, sed potius illam ita dirigere, vt infallibiliter faciat quod Deus decreuit, & hoc satis esse, vt consilium Dei stet, & omnis eius voluntas fiat, & vt in voluntate humana non sit potestas resistendi diuinæ, quia nunquam valet ad effectum perducere oppositum eius, quod Deus decreuit. Quod totum prouenit ex diuina omnipotentia cum infinita sapientia coniuncta, & non repugnat libertati, quia supponit illius vsum præiudicium, & ad illum dicit formalem, vel virtualem habitudinem, vt explicatum est, & iterum in capite penultimo huius libri dicitur.

CAPVT XXXIV.

An Scriptura dicat Deum dare nobis velle propter physicam prædeterminationem.

Quartus locus argumentandi sumitur ex his scripturæ testimoniis, in quibus dicitur Deus in operibus pietatis, non solum dare posse, sed etiam velle, vel agere. In quo puncto præcipue ponderantur verba Pauli Rom. 4. vbi de promissione facta Abrahamæ, sic erit semen tuum ait. Ideo ex fide vt secundum gratiam firma sit promissio, & infra subiungit. Confortatus est fide dans gloriam Deo plenissime sciens, quia quod promissum potens est, & facere, Quæ verba ponderans

Augustinus libro de prædestinatione sanctorum capite decimo ait. Quando promissum Abrahamæ in semine eius fidem gentium, non de nostra voluntate potestatem, sed de sua prædestinatione promissum. Promissum enim quod ipse facit, non quod homines, &c. Quæ late profertur D. Thomas etiam super Paulum imitatus Augustinum ait. Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio non quidem per operationes hominum quæ possunt efficere, sed secundum gratiam, quæ infallibilis est. Est ergo argumentum Pauli & Augustini. Dei promissio est certa ex his, quæ ipse facit, non quæ homines, sed Deus promissum fidem gentibus in Abrahamo, ergo ipse est qui facit illam, non ergo dat tantum posse credere, sed etiam credere.

Atque ita videmus impletum in illa Lydia purpuraria de qua dicitur Act. 16. Deum aperuisse cor eius intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Nam apertus cor nihil aliud significat quam illi dedisse credentem voluntatem. Et similiter Act. 13. vbi de gentibus dicitur. Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam. Quod perinde est ac si diceretur. Crediderunt qui erant prædestinati, vt secundum gratiam firma sit promissio. His consonant verba Christi Ioan. 1. Quis ex Deo est verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Vbi audire idem est quod obedire audire, & suscipiendo fidem. Et hoc tribuitur determinationi proueniendi ex diuina prædestinatione, nam ob fidem non potest quis dici esse ex Deo, nisi secundum prædestinationem. Præterea hoc confirmatur ex illo Ioan. 13. Si quis palmas non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vitis, ita nec vos nisi in me manseritis, iuncto illo Roman. 11. Non tur radicem portas sed radice. Quibus verbis significatur, sicut fructus palmarum totus est ex vitæ vitis, ita omnem pietatis fructum, seu actum esse ex gratia efficaci determinante tempus, modum, & qualitatem, ac quantitatem fructus. Et eodem modo solent hic induci testimonia omnia, quæ sunt de necessitate gratiæ, vt Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare, &c. & ad Hebr. 13. Deus pax apertum omni bonæ, faciens in vobis quod placitum est cor am se.

Ad hæc omnia vno verbo respondere potest, illa rectè probari necessitatem auxilij efficaci ad credendum, vel præ operandum, non tamen, roborem modum efficaciam per prædeterminationem, quia hoc alio modo suauiter, & magis contentaneo diuine providentiæ, & satis efficaci, & infallibiliter fieri, & impleri possunt. Vt autem hoc euidentius fiat, aduerto, duo tangi in his testimoniis. Vnum est Dei non solum dare posse efficere opera pietatis, sed etiam dare ipsum facere, seu ipsa opera, Aliud est, non solum dare ipsa opera eo tempore, quo nunc, sed etiam in priori tempore illa promissæ, & in æternitate prædestinasse. Et verumque horum verissimum, & certissimum est, ex neutro autem rectè, vel apparenter colligitur prædeterminatio. Nam si illud primum præcisè spectetur, ex eo sufficienter verum inuenitur, quod ad opera gratiæ Deus non solum dat dona supernaturalia, quibus homo fit potens ad talia opera efficienda, sed etiam cum illa sunt per eadem dona, influit actus in eadē opera, ac deinde per seipsum, & per generale concursum ordinis gratiæ physicæ, ac immediate efficit in nobis, & nobiscum eadem opera, quæ omnia subsistere possunt sine prædeterminatione, vt per se patet, & satis superque sunt, vt Deus dicatur dare nobis talia opera, vel alia efficere in nobis. Vt enim hoc verissimum sit, non est necesse, vt solus Deus illa opera faciat in nobis, vt ex fide constat, quod faciendo illa nobiscum, verè facit illa. Quin potius licet Deus faceret in voluntate hominis præuiam determinationem in actu primo, ex vi illius non diceretur per se, & propriè facere ipsum velle,